Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



VATAS. Querimus ergo quomodo intelligendum sit. Preuaricantes deputaui omnes pecca
tores terre. Propter quod ait apostolus. Vbi enim non est lex. nec preuaricatio. Hoc autem dixit. cum a
lege promissa distinguerent. Nam ut de superioribus sensus plenius colligatur. non enim per legem
inquit promissio abrahe aut semini eius ut heres esset mundi. sed per iusticiam fidei. Si enim
qui per legem heredes sunt. ex inanita est fides. et euacuata est promissio. Lex enim iram operatur.
Vbi enim non est lex. nec preuaricatio. Ideo ex fide. ut secundum gratiam firma sit promissio
omni semini. non ei tantum quod ex lege est. sed et ei quod ex fide est abraham qui est pater omnium
nostrum. Cur hoc apostolus ait. non ut ostenderet legem sine promissionis gratia non solum non auferre.
uerum et augere peccatum. Vnde et illud est. Lex subintrauit. ut habundaret delic
tum. Sed quia omnia per gratiam dimittuntur. non solum que sine lege uerum et que in lege commis
sa sunt. ideo ibi secutus adiunxit. Vbi autem superhabundauit delictum. superhabun
dauit et gratia. Non itaque preuaricantes deputat omnes peccatores terre apostolus. sed eos
tantum preuaricantes deputat qui transgrediuntur legem. Vbi enim non est lex. nec preuarica
tio inquit. Ac per hoc secundum apostolum omnis quidem preuaricator peccator est. quia peccat in
lege. sed non omnis peccator preuaricator est. quia peccat aliquis sine lege. Vbi autem non est lex.
nec preuaricatio inquit. Porro si nemo sine lege peccaret. non idem ipse apostolus diceret.
Quicumque sine lege peccauerunt. sine lege peribunt. Secundum uero istum psalmum si preuaricantes
sunt omnes peccatores terre. nullum est utique sine preuaricatione peccatum. Nulla est autem
preuaricatio sine lege. Nullum est quod non in lege peccatum. Qui ergo dicit preuari
cantes deputaui omnes peccatores terre. nullos esse omnino nisi qui legem transgressi sunt
uult intelligi peccatores. et hoc adusatur ille qui dixit. quicumque sine lege pecca
uerunt. sine lege peribunt. Secundum illum quippe sunt aliqui peccatores. quamuis non sint preua
ricatores. id est qui sine lege peccauerunt. Vbi enim non est lex. nec preuaricatio. Se
cundum istum autem nullus est sine preuaricatione peccator. quia preuaricantes deputat
omnes peccatores terre. Nullus ergo secundum istum sine lege peccauit. quia ubi non est lex nec preua
ricatio. An forte dicturi sumus uerum quidem esse quod preuaricatio non sit ubi lex non est. sed ue
rum non esse quod aliquis sine lege peccauerunt. aut uerum quidem esse aliquos sine lege peccas
se. sed uerum non esse ubi lex non est. preuaricationem esse non posse. At utrumque apostolus dixit.
Verum est ergo utrumque. quia utrumque per apostolum ueritas dixit. Quomodo ergo erit uerum quod in psalmo
isto eadem procul dubio ueritas dixerat. preuaricantes deputaui omnes peccatores
terre. Respondetur enim uobis. Qui sunt ergo illi qui secundum apostolum sine lege peccauerunt.
Non enim ex eis quisquam preuaricans deputandus est. cum secundum eundem apostolum preuaricatio
non sit. ubi lex non est. Sed nimirum cum diceret apostolus quicumque sine lege peccauerunt. sine le
ge peribunt. de illa lege aiebat. quam dedit deus per moysen famulum suum populo suo
israel. Hoc ipsa que circumstant. uerba eius ostendunt. Disputabat enim de iudeis et
grecis. id est gentibus. non ad circumcisionem. sed ad preputium pertinentibus. ideo eos sine le